



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XI. Ordo Sev Congregatio Canonicorum regularium S. Rufi, in Gallia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

ciderunt. Quidam enim Ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tantò magis exultant, quantò velut in aqua turbata copiosiorē reperientes piscationem, ab altera vel vtraq; parte hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quod si fortè iustos & timoratos inuenerint Prælatos, qui ab omnimunere manus excutientes, eorum partes intercedente pecunia, fouere renuerint, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi & euagandi materiam libenter inueniunt, & inutilibus expensis ex vtraque parte miserabilem domum eorum obligantes, redditus copiosos & amplas plerumq; consumunt possessiones. *Ita Vitriacus in sua Historia Occidentali.*

Cæterùm floret hodieq; Abbatia Aroasiensis, vt & alię Abbatia eiusdem olim Congregationis, sed proh dolor! desijt illa societas, siue vnio, nec annum amplius capitulum à Congregatione Aroasiensi, vtpotè extincta celebratur.

CAPVT XI.

ORDO SEV CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi,
in Gallia.

CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi, (quem alij Arnulfum nun-

nuncupant) Paschalis Papæ II. temporibus, circa annum 1107. sumpsit exordium. Beatus 1107. namque Rufus, Lugdunensis Episcopus, cum esset egregius diuini verbi præco, monasterijs plurimis in Gallia excitatis, demùm in Italiam transfijt, atque in Etruria & alibi multa Cænonicorum regularium cœnobìa instituit: quorum caput apud Valentiam, Delphinatus seu Prouinciæ Viennensis urbem statuit. Sic Aimarus Falco in historia sua Antoniana, Lugduni an. 1534. edita, Notatque idem in Prouincia Viennensi tria monasteria, religiosorum familiarium capita, numerari: nimirum Cartusiam Maiorem, S. Antonij Viennense monasterium, & dictam S. Rufi Abbatiam.

Huius reformationis meminit Ioachimus Abbas, commentario in Apocalypsim, videturque initia eius referre ad annum circiter 1100.

CAPVT XII.

CONGREGATIO ET ABBATIA

S. Victoris, ad muros vrbis Parisiensis.

INTER Canonicos Augustinianos celeberrima, est familia seu Congregatio Canoniorum S. Victoris, qui nomen hoc induerunt à monasterio S. Victoris Abbatiali titulo
D illustri,